Tentamen physiologicum inaugurale, de fluxus menstrui indole, causisque ... / [James Chichester MacLaurin].

Contributors

Maclaurin, James Chichester, 1765-1804.
University of Edinburgh.

Publication/Creation

Edinburgi : Balfour et Smellie, 1788.

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/phz7xeuk

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

TENTAMEN PHYSIOLOGICUM INAUGURALE,

DE

Fluxus Menstrui Indole, Causisque.

QUOD

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GULIELMI ROBERTSON, S.S. T.P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praelecti;

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,

Et nobilissimae FACULTATIS MEDICÆ decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit

JACOBUS CHICHESTER MACLAURIN,

LONDINENSIS,

SOC. REG. MED. EDIN. PRÆSES ANNUUS

ET SOCIUS EXTRAORDINARIUS,

NEC NON

SOC. PHYS. LONDINENS. SODAL.

Ad diem 12. Septembris, hora locoque solitis.

Cursus est certus Ætatis, et una via Naturae, eaque simplex, suacuique parti Ætatis tempestivitas est data, ut naturale quiddam habeat Maturitas, quod suo tempore percipi debeat.

Cato Maj. sive de Senectut. Cicer.

EDINBURGI:

Apud BALFOUR et SMELLIE,

Academiae Typographos.

M,DCC,LXXXVIII.

Soc: Med: Aberd:

hocce opusculum inaugurale

summo cum obsequio

offert Auctor

316847

Reverendo admodum

RICHARDO ROBERTS, S. S. T. D.

SCHOLAE PAULINAE LONDINENSIS ARCHIMAGISTRO,

PRAECEPTORI SUO CARISSIMO,

VIRO

Ob Ingenium, Doctrinam, Scientiam,

Maxime

Colendo, Honorando,

Ob virtutes omnigenas

Amando,

Discipulus gratissimus;

a

Item,

GULIELMO SAUNDERS, M. D.

NOSOCOMII GUYANI LONDINENSIS MEDICO,

Ibique

MEDICINAE PRACTICAE, CHEMIAE, &c.

PRAELECTORI JURE CELEBERRIMO,

In omnes Benevolentia insignito,

Cujus sub auspiciis faustis,

Cujus exemplo semper laudatissimo,

Feliciter adductus,

Artis Hippocraticae studiis primis incubuit;

Necnon,

Amico ſuo cariſſimo

KENNETHO MURCHISON

DE TARRADALE,

ARMIGERO,

Probitatis ergo ſincerae uſque ſpectabili,

Morum, Humanitatis,

Animique ad optimum quodque parati,

Ob Amicitiam

Intemeratam, integram, veram,

Quam ſibi benigne praeſtitit;

Digitized by the Internet Archive
in 2018 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b30382956

Denique,

Affini ſuo dilectiſſimo

JACOBO GIBSON,

ARMIGERO,

CHIRURGO PERITISSIMO,

Artem propriam fauſtiſſime Edini exercenti

Summiſque cum Laudibus;

Ob plurima in ſe beneficia collata,

Protempſicon hoc Inaugurale,

Eo, quo par eſt, obſequio,

Animi haudquaquam immemoris

Pignus,

D. D. D. C.

Auctor devinctiſſimus, obſtrictiſſimus.

TENTAMEN PHYSIOLOGICUM

INAUGURALE,

DE

Fluxus Menſtrui Indole, Cauſiſque.

CAP. I.

DE MENSIUM INDOLE.

PROŒMIUM.

PAUCA de eo fluxu muliebri, qui menſtruus vulgo audit, tradere fert animus: Mei diffidens autem in tantam accingor diſputationem, almae utpote hujus academiae legibus obtemperaturus, moribuſque munere functurus impoſito, mandata enim, ſtudiorum curriculo in finem perducto, feliciterque peracto, ſingulos in ſcientia medica, et

diligentiae et profectus indicia, minime dubia, in medium proferre depoſcunt. Haec extrema meta laborum, dulcis ſollicitudinum merces, praemiumque, quam delectabilis ! periculum tamen conatus lauream ambienti quam arduum ! Argumenti enim momentum, noſtri vires, acumenque ingenii longe longeque ſuperans, ne pro humeris onus majus ſuſtuli, verentem terret.

Catamenia opuſculi materiem hujuſce, et Philoſophos inter, et Phyſiologos, maximas uſque accendiſſe controverſias, nemini obſcurum eſſe poteſt ; iterum iterumque tractata, ‘ Quot ‘ non in hoc opus ab omni aevo ſummorum ‘ virorum conatus ? Quanti eundem in finem ‘ praeſtantiſſimorum ingeniorum patrati labo- ‘ res ? At quam infauſto ſucceſſu * !’ meritiſſimo equidem exprobare licet.

De

* Praefat. ad Sydenhami op.

De re tam crebro disceptata, et eruditissime, in quam tantum doctrinae, tantum solertiae impensum, nil vel minimi ponderis adferre profiteor, nil forsan novi : Aliorum recensentem theorias, aliorum tradentem sententias, varia denique ex aliorum deprompta scriptis colligentem, futilia cuncta, absurdaque certamina, molestiâ tantum referta, sedulo semper evitare oportet ; cura igitur imprimis sit nostra, veniamque submisse, si tenuia haec licentius fortasse attulisse videbor, flagito. Discentis, non docentis, nunc etiam officium exequor :

Brevibus

Γνωμη γαρ (ειτις καπ' εμοι νεωτερος
Προσεστι) φημ' εγωγε πρεσβευειν πολυ
Φυσει τον ανδρα παντ' επιστημης πλεω.
Ει δ'ουν, φιλοι γαρ τοιδε μη ταυτη ρεπει
Και των λεγομενων ευ, καλον το μανθανειν *.

* Sophoclis Antigone.

Brevibus itaque, indolis, fontis, atque cauſarum menſium expedire decrevi diſquiſitionem.

DEFINITIO.

Fluxus menſtruus, illa κατα φυσιν humoris ſanguinem referentis excretio, cui mulieres ſubjectae patent; quae e genitalibus effluit, fere, ineunte pubertate, incipiens, dummodo valetudine foemina bonâ fruitur, ſtatis periodis; atque ad annum quadrageſimum quartum circiter, aut quinquageſimum uſque, plerumque protrahitur, Graviditatem citra, vel Nutricatum.

Quod inter ſingulas immune evadit intervallum excretiones, varium ſaepe eſt, creperumque, et a victus conſuetudine diverſa, habituque corporis maxime pendere neceſſum eſt: Variarum incolas regionum, aut plagarum diſpa-

rum,

rum, multum inter ſeſe quamque diſtare nemini non patet: Notatu tamen digniſſimum, eaſdem regiones verſantes foeminas raro convenire; aliquae enim menſtruo per ſpatium quinque, vel ſex etiam hebdomadum, fluxu prorſus liberae optime valent; dum aliae contra crebriori hujus ſunt obnoxiae vectigalis reditui, et vix menſe dimidiato, aut minore potiuntur intervallo; aliaeque non ſaepe equidem hoc a fluore penitus fiunt immunes, identidem fuſius menſtruantes, quibuſdam enim ad duodecimum extenditur diem *. Ruſticae, eae quoque quae laborem exercent impenſum, vitamque colunt inopem, et viragines: Mulieres contra tenellae vitam otioſam, lautam agentes, gulae indulgentes, et luxuriae, ex Amaltheae cornu haurientes, laſcivioreſque exempla edunt. Puellae illae quoque quae jam pubertatem nactae, et vetulae pariter, quibus vis menſtruifica jam langueſcit, caduca,

* Sennert.

caduca, citoque interitura, ſimiliter perinde, quoad periodos, abnormes. Fere tamen et Naturae legibus conſtantius, etſalutarius, excretionem menſis complere terminum lunaris, vel dierum circiter viginti octo. Auctoribus tam bene compertum, quam Καλαμηνια, Μηνες, Εμμηνοι a Graecis, a Latinis, MENSES, MENSTRUA PURGATIO, EXCRETIO LUNARIS nuncupari: Quibuſdam uſum ſpectantibus Καθαρσις γυνεικεια: Vernacula noſtra, THE MONTHLY COURSES OF WOMEN, THE FLOWERS, &c. audiunt.

An mulieribus viventium ſolis fluxus accedit menſtruus, maximam devinxit curam, neque lis dirempta adhuc quieſcit. E ſummorum laboribus virorum eluceſcat veritas ſperatum, quoad tamen rem in praeſenti diſceptatam, verum denſiſſimis quaſi tenebris adeo praecluſum huc uſque operitur, diverſi qui multarum eventus obſervationum has ipſas nubes ſtipati-

ores,

ores, denſiores reddunt, pro luce obſcuritatem gignentes.

Permulta, fatebor, in utramque occurrunt ſententiam ; unuſquiſque, ſua fretus experientia, ſuam cum eventu diſpare profert, animuſque cogitantis dubius haeret, nec quo ſe vertat pernoſcere ſentit ; quid enim, cuiquam in mentem inducenti, ſummos ſcientiae, peritoſque, in tali implicatos verſari indagatione, factaque ſua, cura collata, fideliſſime proponere, ulterius ſupereſt ? Liceat tamen, noſtra quo ſtat ſententia, quam pandere diffidenter : A nobis alienum, ſemper maxime alienum, alicujus ream agere fidem ; cuivis aliorum rimanti argumenta, aemulum ſeſe, uſque ſicut verum patere videbit, admovere, conceſſum datur, jure hoc communi igitur uti viſum eſt.

Fluxum manare menſtruum non hominibus proprium alii aliis parcius opinantur, paucis tantum

tum concedentes brutorum, iis praeſertim quae humanam appropinquare naturamque, formamque, dicuntur, alii uberius omnibus paene animantium; alii, proh abſurdum! vegetabilia ipſa cuncta ſubjici fortiter autumant.

Brutorum quaedam, quibuſdam, e genitalibus humorem, excernere temporibus, quo majus inter ſeſe in mutuos ſollicitantur amores, nullus dubito: Nequaquam tamen talem ſuccum, in ipſis ſolum cupidinis ardoribus manantem, ſemperque, remotis ſatiatiſve iis, ceſſantem, uterino menſtruali ſimilem ullimodo damus evadere *. Excretio namque haec rara eſt, et inſolens, quodam tantum facta tempore, atque veriſimilius libidinis, aeſtro immodice flagrantis venereo,

effectus

* Non Beſtiae menſtruant, neque enim credo affirmantibus, fortiter autumat Hallerus; Phyſiolog. tom. vii.

effectus habenda videtur. Recentiores insuper auctores, simias solas catameniis e naturae legibus subjici, annuunt * ; structurae ergo haud humanae absimilis, genitalium formae, situsque, nimirum, quippe in obeundo sese saepius sursum erigere gaudent ; sententia autem et haec etiam valde decertata, sub judice incerta relinquitur ; nobis, fundamento instabili saltem niti videtur, diligentiorum quia quamplurimi, hoc, tam insigne, silentio prorsus praeteriere proprium. ARISTOTELES omnia eximi ovipara, vivipara fere omnia communi subjecta decreto animalia esse duxit : Pisces ob elementi, quo degunt, frigidiorem temperaturam, aves, ob siccitatem, immunes esse ; mulieres attamen ullo alio menstruare plenius animali concessit, vac-

* Astruc. Maladies des Femmes. Linnaeus in System. Natur. duas ex Simiarum classe menstruatas pingit. Buffonius fere omnes, Histoire Naturelle.

cam deinde, equam, atque canem * : Hic, et inter antiquiores, nequaquam hanc confirmatam fuiſſe rem advertere eſt; PLINIUS enim, ‘ Solum animal menſtruale foeminam eſſe,’ pro virili teſtatur parte †. Vegetabilium denique excretio ab ipſis reſorbetur.

Viros ipſos, ecce! mulierum aemulantes curſus, criticae cuidam, et ex ordine humoris e corpore miſſioni ſubjici, quibuſdam affirmatur, e quovis excreto, per cutem puta, aut per renes: Nec deſunt qui, quoque exacto menſe, ſeſe doloribus affectos levibus, plenitudiniſque ſenſu, inteſtinorum ſeu cujuſdam excretorii alii, incitato levari niſu teſtantur; hocque non ſemel, ſed iterum iterumque repetitum eveniſſe. SANCTORIUS *criſin hanc maſculam menſtrualem* tradit, bene quaſi

* Ariſtot. περὶ Ζωων Ἱςορίας, cap. 19. lib. iii. cap. 2. lib. vii.

† Plinii Hiſtor. Natural. lib. vii. cap. 15.

quasi notam, ponderis in capite sensu, ac cephalalgia, corporisque fere totius praecessam languore, auctiore urinae mictione, aut lotio copiosius deponente, latam *.

Brevia, brevia tantum enim, subjungere ineptiae tales, fabulae revera aniles, nugaeque deposcere dignae, officii hortatur ratio, de qualitate venenata, deque vitiis, paene innumeris, humori, qui menstruatim ejicitur, insulse adscriptis ; permultorum veterum, atque hodiernorum etiam, quo major his adhibeatur fides dictis, inspicias licet opera, talibusque gerris stolidissimis scatentia cernere est. Catameniorum omnes fere, quibus foemineus urgetur sexus, viribus adjudicantur morbi : Retenta, idcirco sanguine cum mixta puriore, et una circumvecta, vix potest, quin et caeteros quoque humores, blandos alioquin, et mites polluant ; alium

arcesse,

* Sanctor. Medicin. Static.

arceſſe. Menſtrualem praegnantibus denegatam excretionem, atque lactantibus, ob ſolam indolem viroſam, jurare haud cunctatur, praetermiſſis aliis, et menſtruorum ſuppreſſionem alicujus haberi comitem morbi fere ſymptomaticum. Magnus medicinae Pater ipſe teſtimonia de his, vix ſibi quidem congruentia, tradit, malignitatem his exprimit verbis: ξυει τη' γην ως οξος, και δανει της οι αν επιψαυση γυναικος, και ελκοι τας μηδρας, - alibi autem inquit, χωριει δ'αιμα οιον απο ιερειων και ταχυ πηγνυται ην υγιαινη η γυνη *, laudatiſſima enim ſanguinis optima conditio, ut ruber ſit, citoque concreſcat ducenda eſt. ARISTOTELES ſimiliter e vitiato quodam, morbidoque componi ſanguinis genere menſes, naturae a reliqua ſapienter beneficio maſſa ſecreto, duxit †. PLINIUS monſtra mille hiſce ortum exiſtimavit ducere ‡: Quam

* Περι γυναικειων νοσων.

† Περι Ζωων Ιςοριας. lib. iii. c. 19.

‡ Plinii Nat. Hiſt. lib. vii. c. 15. Ovidius, poeta facundus, Pelignae gloria gentis, humorem menſtruatim excretum lunaris titulo inſignit viri.

Quam ob rem νεωτερικων complures ſua ſcripta quoque talibus inquinavere ineptiis miror *.

Fluxum, de quo nunc agitur, multos ſexus ſequioris arceſſere morbos, ‘ non is ſum, qui ‘ pernegem :’ Hic tamen ad proprietates ſolum advertitur ſpecificas ; taleſque nugae errore tantum fulcitae, penitus relictae, nunc tandem fauſte reſpuuntur, nullimodo menſtrualia venenata imbuta facultate, vel acrimonia praedita eſſe erodente, conprobatur ; ſed contra, aeque ac humores corporis caeteri, innoxie manare, aliquibus quanquam abhorrentia propriis, undique conceſſum †. Humorem hunc ipſum e viis haud

* Conſulas hortor Fernelii Phyſiolog. tom. vii. Columellam de re ruſtica : De Graafium, tit. de Flux. menſtr. Etmullerum ; Sennertum ; Ludov. Bonacciolum de Foetus format. Verheynum, et alios.

† Ex Aſia, inquit Hallerus, videtur opinio de menſtrui ſanguinis foetida, et venenata natura, ad nos perveniſſe,

haud itinere prolatum exesis, spectantes, in tanta perstare hallucinatione, tamque diu, in summis notatu dignum; quomodo enim, quaeso, absque internecione sanae evaderent partes vicinae, si virus majus fluidi tantum, quantum etiam arborum, suo enecare superventu stirpes, novellas urere vites, canes gustatum in agere rabiem, Elephantiasin gignere, Alopeciamque, Epilepsiam, Maniam ipsam, teterrimam denique late vastantium malorum instruere cohortem; aut quo plura, in corpore accumulatus, praestare cohibetur, gestantibus praesertim? Puellus in utero enim tenerrimus quovis certè citissime adficitur stimulo.

Materiem tamen hanc longius aut utero subsistentem, aut vagina, vel valetudine adversa, vel

venisse, et per medicos potissimum Arabes ad Europaeos pervenisse. Mos apud Hebraeos ne religionibus intersint mulieres interdicere ex hoc ortus, jussusque est, dum menstrua fluerent.

vel quovis mechanice agente obice, Hymenis puta imperforati gratia, ipſiuſve Matricis, mora ſtagnantem, putrefactam iri, exindeque qualitates adſumere morbificas *, vel quibuſdam morbis matricariis, ulcere forſan, aut carcinomate, vitiari, non inficiendum, nunquam tamen tam acre reddi, quam venenum haberi conceditur. Humores paene cunctos morbide detentos vitiatos evadere omnibus in confeſſo eſt, et ſic revera de menſibus fit; φλογωσις autem a longius orta retentis, non a quavis actione pendet virosa, mera ſolum preſſione irritante. Uterus ulcere adfectus inquinamentum fortaſſe impertiri,

* Evenit interdum, quod ille ſanguis utero conceptus non illico effundatur, verum ibi cunctando putreſcit, ut fit in loco humido et calido, quin foeda excrementa plurima nonnunquam in utero ſtabulantur, quibus ſanguis ille remiſceatur, ibique interceptus et exitu prohibitus, in peſſimum degenerat venenum; Joan. Heurnius, cap. 1. tom. iii. Conſule et alios.

pertiri, ſuccis tam morbidis, acribuſque commixtis, poteſt.

Humor autem hic, quod veras attinet qualitates, dummodo ſeſe juſtum gerit, nec tenuior, nec craſſior ejicitur : Junioribus forſan tenuior, et ſaepiſſime carnium recens occiſarum adſpectum refert : Senioribus nigrior denſiorque ; aetatem tenentibus florentem medius, neque foetorem proprium exhalat ullum.

Menſtrualia naturaliter, ineunte pubertate, primum erumpere, ſecundum circiter ſeptenarium ſcilicet, jamjam retuli, ſanam quamdiu ſeſe habet foemina, et reipſa hujuſce haud dubium ſtatus praebent ſignum ; mutationes tunc temporis permagnas, nobileſque ſubit corpus. Puero barba pullulat, tenera, atque decora, vox antea ſtridula, rauceſcit, inque graviorem tranſit ſonum ; teſtes identidem officio fungentes ſuo ſemen ſecernunt, effloreſcunt pubes, totum

denique

denique corpus torosius evadit, atque robustius, perfectionis statum summum mox induturum. Puella similes, sed, ut ita dicam, majores : Mammae planae antea venuste intumescunt; oculi insolito micantes fulgore lepide splendent, votorum denuncii; Pubes, ut in Puero fit, molli lanugine vestitae teguntur, menstruoque tam diu expectato fluore tandem erumpente, in Procreationem adaptatur.

Raro tamen incommodis absque gravioribus praecessam : Fere quippe per tempus profluvium praecursans, trium, quatuorve, pluriumve aliquando dierum, Cephalalgiâ aegra urgetur Foemina, Mammarum tensione dolorifica, gastrodynia, nausea, vomitu etiam : Respiratione laborat difficili; in Pelvis regione, atque uterina plenitudinis adficitur sensu, saevis saepe per Lumbos, et Pelvim erraticis comitato doloribus, pruritu circa Pubes ingrato molestoque, atque frequente mictionis cupiditate, Urinâ turbidâ.

Vultus pallore ſuffunditur, Pulſus celer, duruſque, febricula ſtipatus adeſt.

Haec ſymptomata miſeram graviter urgentia, ſtillicidio ex organis Generationi inſervientibus migrante parco, levata tolluntur, humoris tenuis, ſeroſi imprimum, aut rubelli, leviter ſanguine tincti, gradatim tamen veriorem arrogantis indolem, ſanguinis ſpeciem rutili prae ſe ferentis. Hoc quoad colorem, ac propria, humoris diſcrimen ARISTOTELI clare compertum, Menſes in duo dividenti genera, unum a Puellis junioribus, alterum autem ab adultioribus excretum *.

Signa haec, ſicut Menſtruorum praenuncia, ſupra memorata, ante ſingulos eluvionis crebro recurſus repetita oriuntur, interdumque aſpere, expurgatione donec rite reddita, miteſcere inchoant,

* Ariſtoteles περὶ Ζωων Ἱςορίας, cap. xix.

choant, vel demum penitus evaneſcunt: Quibuſdam aliquando dolores uterini, atque lumbares, ſaevius laceſſentes, Puerperii etiam ipſius aemuli graſſantur; aliis fauſtius ſeſe habentibus, Catamenia quovis abſque incommodo, a primis etiam, feliciter labuntur: Rariſſime tamen venia praebetur tanta, modove tam ſecundo hoc commune foemineum Naturae debitum perſolvere; quaedam enim praeterea his malis ipſis frequentius recurrentibus cruciatae premuntur, quotieſcunque excretionis tempus adventum inſtantem vaticinatur.

Ætatis, quo primum orditur profluvium, annus diverſum ſeſe habet: Plerumque tamen, earundem incolis regionum, ejuſdem, aut prope ejuſdem, evadit temporis. Climatis temperie forſan, corporis habitu, victuſve conſuetudine magnopere pendere nemini non conſtat. Regionum mulieres calidiorum, Aſiae puta, aut Americae, citius matureſcentes, citius quoque Catamenia proferunt:

ferunt : tempeſtivarum, ut noſtrae, paulo ſerius : frigidiorum autem, et arcticarum, his tardius. Puellae, exempli gratia, prius dictarum regionum, pubeſcentes, Menſtrua, annum agentes nonum, decimum, aut circiter, edunt, non raro equidem promptius. Noſtratibus, in medio inter ambas incedentibus calle, Menſtrua ad anni decimi initium quarti quintive effundere mos eſt. Quo ad Septentrionem majus recedas gelidiorem, in ſeriores cohibentur annos. LINNAEUS ita Laponicas Naturae juſſas, donec multum provectiores, mandata aſpernari Auctor eſt ; parcius tunc etiam, longiora, ſingularum inter excretionum vices, intervalla colentes, Solſtitio plerumque aeſtivo reditarum ; multas quoque Vir ille celeberrimus, per totum Vitae decurſum, Catameniis omnino liberas carere, tradit ; alias non per Hyemem edere *.

Haec

* Vid. Flor. Lapon.

Haec HIPPOCRATIS de Scytharum Foeminis, Νομαδων monita rata confirmant, quibus menſtruus parcus ejicitur fluxus, et inſolens, regione ſub montibus poſitâ Riphaeis, Boreas unde ſaeviens ſpirare perſtat, aëre denſo, nebuloſo, ſoloque tam humido, quam Hyemem ibi ſemper praeſentem adeſſe quadantenus dicas, Aeſtatem breviſſime, et per exiguum calefacientem tempus *.

Haud paucae tamen Auctoribus, ſummae digniſſimis fidei, foemellarum enarrantur hiſtoriae †, Menſtrua quibus praematurius erumpentia, prodigio ſunt, Phaenomena tamen certe inſueta

* Hippocrates περι αερων, υδατων, τοπων.

† Conſulas oro Memoires Acad. des Sciences l'an. 1708, p. 395. Van Swieten in Aphor. Boerhaav. Comment.: Hercules de Saxonia in Epiſt. ad Schenkium, ſic, Puellam novi annum quintum agentem, ſingulis

insueta admodum habendae, nullâ Naturae moribus ratione consentaneae, legesve dirimere solitas valentes: loco Septenarii secundi, temporis usitatissimi, in primis aliquae menstruasse dicuntur

lis mensibus, modice tamen, expurgatam. Schenkius in Observat. lib. 4. Ulricus Regelin filiolam suscepit, quae statim atque quintum aetatis annum exegit, menstruo fluxu laborare coepit: Meis temporibus, inquit Albertus Magnus, in Comment. ad lib. 2. Physicor. Aristot. praesentata fuit puella, quae nata fuit dependentibus uberibus, cum pilis inguinis atque asellarum, et mater ejus fatebatur etiam, quod patiebatur menstruorum resolutionem. Filia cujusdam tabellarii, cui a quarto in octavum aetatis annum periodice fluxissent menstrua, &c. Tulpii Observat. Medic. lib. iii. c. 36. Joannes Riolanus de Uteri morbis sic, menstrua in magna copia in Puella trienni fluxere; Fernelius, lib. vi. c. 16. Puellae cuidam anno octavo menses rubri supervenerunt, cum cessassent, sanguis e naribus fluere, quod ei antea saepius contigerat. Puellam annorum novem utero gestasse visam scribit Savanarola, et a se etiam visam

Joannes

cuntur incunabilis : Foemellas anniculas, biennes, triennesve saepius invenies, sexennes, septennes, aut octennes crebro. Puellam novennem, non solum rite menstruasse, sed concepisse etiam, refert SCHENKIUS. Fragiliores tales esse, vitaeque brevioris praecoces sortem adeptas esse, contra tamen serius menstruantes longaeviores evadere, bene SYLVIUS admonere videtur *.

Catameniorum praeterea cessationis adventus, ac exortus, aeque diversus reperitur, cui tamen ratione

Joannes Capella senior, undequaque doctissimus mihi coram affirmavit, inquit Jacobus Sylvius de Generatione differens ; Schenkius Observat. lib. iv. fuere quinquennes, et octennes menstruatae. Quotidie, testatur Hallerus, Puellam patriciam coram video, forma, ingenio, gente praestantem, novennem, quae jam ab aliquot retro annis menses accurate patitur ; Physiol. tom. vii. p. 139. De Muliebr. et ultra. Etiam passim reperies matres novennes, neque decennes, et duodecennes frequentes desunt.

* Insp. Jacob. Sylvium de Generat. et Sennertum.

ratione pari plerumque consentaneus, parque componitur. Plagarum Foeminis citius menstruantibus fervidiorum, citius quoque fluxus obrepit finis, annum aetatis quadragesimum fere circiter, vel ante: Frigidiorum incolis in longius protrahitur aevum; Nostratibus, annum circiter quinquagesimum cessat languens, neque, hic referre liceat, hujus ad salutem tantopere conducentis fluor humoris, incommodis absque gravioribus abire solet.

Nullimodo desunt, quibus ad senectutem etiam Menstrua sese comites serotina praestarunt; grandaevae huic obnoxiae fluxui memoriae traduntur: Fidemque addunt eae, quibus επιμηνια per cessantia intervallum quam longum *, aetatem

* Hippocrates, περι Επιδημιων tractans, mensium per septennium suppressione adfectae, abdomine distento, lateriſque tumore dextri, historiam offert, cui tamen postea rediit fluxus. Recentiores insuper istiusmodi plurimas

tem jam nactis provectiorem, ex improviso derepente attonitis eruperunt *.

Quaestio

rimas contingisse scribunt, mulieres, nam inquit Trajanus Observat. 1. c. 9. nonnullae per biennium, quinquennium, septennium, mensibus carent.

* Bohnius in Circ. Anatom. p. 243. Octogenariam, quae, ingruente Febre, mensibus purgata fuit, memorat. Reinand. Solenand. Obs. i. sect. 15. cons. 13. Etmulleri opera, tom. i. Quaedam septuagesimum agens annum, ordinarie per annos aliquot purgata fuit; Solenand. Obs. 42. and 43. nimirum cuidam sanguineae, robustae, et morbis parum obnoxiae, sterilis tamen, ad annum usque septuagesimum octavum, ordinate profluxisse testatur; Guliem. Fabric. et Horstius mulieris exemplum cui annum agenti septuagesimum tertium simile quid evenit. Unius memoriam, Memoires Acad. des Scienc. conservant ad annum, quam mirabile! centesimum aetatis sextum menstruatae; idemque Blancard, centur. vii. Harum nonnullae perpetuo menstruo sese

 liberarunt

Quaeſtio Phyſiologicos inter maximi revera ponderis fatendum, ſeſe offert, nunc indaganda; eſtque, anne ullae a communi ſolutae vinculo, vectigali menſtruo prorſus evadunt liberae? Adfirmantium tueri aciem arridet, praetermiſſis autem peregrinantium inſomniis, mulieres quarundem regionum incolas, a fluxu penitus immunes fingentibus, climatumque etiam quam inter ſeſe maxime diſparum, CHARLETONUS ſicut de Braſilienſibus *, PECHLINUSque de Gronlandienſibus vindicat †.

Nequaquam

liberarunt ſanguine, nonnullis poſt intervallum contingere longum: Cum menſibus, auctor eſt Hallerus, ſerotinis redit fere et foecunditas; hic quoque non de agitur morboſis, ex uteri natis vitio, ſanguinis per Genitalia miſſionibus, ut ſaepe equidem in hiſce fit, ſed ſanis atque ſalutaribus tantum.

* Charleton de Catameniorum Cauſis.

† Vid. Pechlin. Obſ. Phyſ. Med. lib. i. obſ. 34.

Nequaquam ullius adverſare fidei volupe ſit, nequaquam exprobare,

——————' Pictoribus, atque Poetis,
' Quidlibet audendi ſemper fuit aequa Poteſtas *.'

quia non Medicis datur: Quid igitur? Hiſtoriis deceptos rerum infidis, fictiſve irretitos, talium vindices ineptiarum demus: Obſervationes ſaltem incuria collatae traduntur; menſtrua aliis aliis, parciora fieri, et rariora, concedimus, et dotibus forſan abhorrere parum, idonea tamen quod officio uſibuſque menſium fungantur juſtis. Haec tamen in animum induxere Astrucii, Fluxum menſtrualem e luxuriae tantum, vitaeque lautioris vitiis natum oriri, eaſque, quae inopiam colentes, vitum agunt, " ut priſca gens mortalium" ſimplicem, egenamque, incommoda quoque identidem victum ditiorem,

* Horat. de Arte Poetica.

ditiorem, plenioremque plectentia, inter quae Menſtrualia, fauſtiſſime evitaſſe, Naturae muneribus benignae, doniſque effuſis munifice collatis, tranquille otio fruentes beato *.

Medicorum multas mulierum continent hiſtorias ſcripta †, per totum vitae decurſum menſtrualis expertium excretionis, quoviſque abs malo : Inſignius autem exſtat, tales et concepiſſe,

* Aſtruc. Maladies des Femmes.

† Fernelius Patholog. lib. vi. cap. 16. Conformationis, inquit, naturale vitium ex quo mulierem vidi, cui nunquam vel menſes, vel aliud quidquam, fluxit ab utero, ac nihilominus bene habita, prorſuſque incolumis annos vixit circiter ſexaginta. Ludov. Mercat. de Mulier. affect. lib. i. c. v. non paucae inter Foeminas ſunt, quibus etſi jam conſenuerunt, menſes tamen fluxere nunquam, quarum nonnullae concipere viſae ſunt, aliae vero ſteriles omnino permanſere. Bene habita et ſanguinea mulier nullis unquam laboravit menſtruis, nec

piſſe, et partus feliciter enixas eſſe validos, quanquam fatendum, plerumque ſteriles. Memorantur praeterea quibus virginibus legitime fluxerunt menſes, in matrimonio autem conjunctis omnino defecerunt *.

Hiſce

nec incommodum inde paſſa eſt ullum ; ſterilis tamen in bino matrimonio per vitae dies manſit. Vid. Fel. Plater. de part. Generat. dicat. Nonnullae quippe, inquit Ludov. Mercat. genitalia et os uteri perforata non habent, aut majori ex parte clauſa ; de Mul. affect. lib. i. cap. v. Pertinebat ad meam adfinitatem matrona, (inquit Hallerus in Phyſiol tom. 7. tit. de Muliebrib.) quae poſt primum puerperium neque menſes, neque lochia novit : Quam equidem immatura mors abſumpſit, ut tamen aliae cauſae fati propriores videntur. Auctoreſque praeterea innumeras paene iſtiuſmodi enarrant hiſtorias ; conſulas igitur Sennert. lib. iv. cap. 1. La Motte Obſerv. 23. 24. De Haenii Ration. Medend. &c. &c.

* Vid. Fel. Plater. de Mulier. partib. Generat. dicat.

Hiſce rarioribus tamen imperterriti allatis, noſtra adjungere non dubitamus ſuffragia opinantibus, generandi primo compleri, menſtruis erumpentibus facultatem, ceſſantibuſque ceſſare.

Praeter antea traditas, Cantatrices MOSCHION *, SENNERTUS, FORRESTUSQUE† Cantatrices, Saltatriceſque, menſtruo nunquam laborare profluvio teſtantur; FREINDIUSQUE fama notiſſimus ſuo tutamine etiam eaedem opitulatur ſententiae.

Ad menſuram quod attinet humoris Mulieribus excreti menſtruatim, adhuc fortaſſe dubium, deque hac inſtituta re pericula nequaquam rixam

* Moſchion περὶ ποιων αι εισιν κατα φυσιν μη καθαιρομεναι ſic diſſerit, αι κοραι δηλονοτι, και αι γραιαδες, και εκεινα αι τινες μεγαλοφωνουσι συνεχως,

† Tom. iii. lib. 28. obſ. 1. quod et Experientia ſatis confirmat, aſſerit Freindius in Emmenolog. cap. 3.

rixam ambigua compreſſere, ponderis revera leviſſimi, futilem: Ad ejicientis certe habitum, victus conſuetudinem, moremque, robur denique corporis, reſpicere oportet. Temperatura coeli calidior, temperamentum plenum, atque πληθωρικον, menſae ditioris dapes, epulaeque opimae, vitae inſuper deſidis, et ignavae ſegnities, excretionis inprimis adaugent copiam, Libidiniſque vires ſtimulatrices praecocis praeſertim. Terrae contra frigidioris coelum, diaeta tenuior, frugique, labor improbus, temperamentum potiſſimum modeſtius, caſtiuſque, minorem reddunt. Eadem perfecto Foemina, ſana quamvis, diverſam diverſis excernit copiam tempeſtatibus; inter ſe vix ullae concinnunt duae: Revera itaque certa aliqua, juſtave Menſium definiri menſura recuſat, eam niſi, quae actionibus minime iniqua naturalibus conprobata arguitur, adſciſcimus quantitatem. Humor αιματωδης e Genitalibus lentius effluens, non latice pleniore equidem,

dem, ſed guttatim, quo facilius enucleetur quaeſtiuncula haud parum obſtet.

Hippocrates primum jurgium molitus eſt ſedare, atque Graecarum menſtruationis mulierum heminarum, noſtrates apud duodeviginti circiter menſura uncias valentium, duarum exaequare ſummam atticarum ſtatuit * ; prave equidem. Astrucius ab unciis octo ad uſque exſurgere ſexdecem duxit †. Hallerus a ſex ad circa poſuit octo ‡; haec Freindium in errorem citius deceptum, noſtratium Foeminas uncias quoque menſe ejicere viginti adfirmantem §, irruiſſe evincunt. De Haenius, plurimis

* Hippocrates περὶ παθῶν γυναικείων, lib. i. cap. 9.

† Maladies des Femmes.

‡ Halleri Prim. Lim. Phyſiolog. ſect. 861. tit. De Utero Virgineo.

§ Vid. Friendii Emmenol. cap. 1.

mis de hoc quam ſcite periculis editis adductus, rectiſſime, ut videtur, menſuram a tribus ad quinque plurimum accedere uncias, compertum habet, ad octo raro, atque, quamdiu ſeſe ſanam gerit matrix, vix unquam decem aequantem *.

Aliis poſtremo per pauciores, aliis per plures manare Menſes ſolent dies; ab iiſdem enim, quibus menſura, praecipue profluvii pendet diuturnitas: Nonnullis enim vix dierum trium fluxus complet ſtadium; plerumque tamen quatuor quinqueve, nonnullis autem rarioribus hebdomadis ſibi vindicat periodum, unde *Septimana dicta mala increbuit:* Fluxus forſan vel ante dierum ceſſans eluviem trium, aut ſex ſuperans, in perrexiſſe ducendus eſt morbum.

* Vid. Rat. Medend. ej. cap. vi. p. 4.

C A P. II.

DE MENSIUM FONTE.

UTERINE ipſius, aut Vaginae fontes penum menſtruali ſuppeditent excretioni, maxime Phyſiologicos inter diſceptatum haeret. In utramque plurimi fortiter digladiantur ſententiam, factis, et autopſia ſua, ſaepius repetitis, munitam. Anatomicorum quidam *, quibus Foeminarum, ipſis fluentibus Menſtruis, extinctarum cadavera facultas incidendi praebita occurrit,

* In Puellae, quo tempore Menſes fluerent, ſtrangulatae cadavere, ſolus ſinus Pudoris obſervatus ſanguine tinctus menſtruo, uterus autem prorſus ſiccus, et arcte connivens; Conſ. Piſon. de Morb. ab illuv. ſeroſ. § ii.

P,

rit, canalem, ut aiunt, vaginalem cruore refertam inſpexere, vaſaque ejus diſtenta, et ſanguine ſcatentia detexere; uterum tamen, quam diligenter atque rimatum accurate, omni vacuum tale, ſiccumque reperiere, mundumque. Mulierum quoque, revera paucarum, foetus geſtantium, neque non Menſtrua identidem rite excernentium, exempla confidentius prolata, adducuntur; quomodo enim, orificio, ut in fit Praegnantibus, uterino penitus clauſo, quidquid efluere dignatur? rogitant.

Fateri

p. 2. cap. 7. Similiter duarum mulierum cadavera ſecuimus, quibus Menſes fluebant ſuſpenſionis tempore, in quibus praedictas colli uteri venas ampliſſimas vidimus, ſanguinem menſtruum effundentes copioſum in collum, et ſinum pudoris, et nullum in corporis uteri cavum; Pinaeus, lib. ii. c. 1. de notis Virginitat. E vagina quoque educi Catamenia opinantur Bohnius, Columbus, Santorinus, La Motte, cum plurimis aliis.

Fateri tamen nihilominus lubentiſſime voluntati eſt, noſtrum nequaquam largiri talia ſuadentibus adſenſum arridere: talia eveniſſe, minime, cuidam Naturae opera, varia admodum, atque inſignia, ſpectanti, inficiendum, rariſſime utpote, morbique veri aeſtimanda ſigna; omnis enim ſanguinis e Vaginâ miſſio, vel morboſa, vel aeque vicaria, ac eae, quae, ſuppreſſione urgente diuturna, e caeteris corporis partibus ſcaturientes erumpunt ejectiones, habenda eſt.

Uteri ipſius vaſa per internam totam cavitatem cruore infarcta repletaque quamplurimis enarrantur *, Funduſque ejus foraminibus praeſertim pertuſus frequentibus, ipſo naturali perſiſtente

* Cum enim virginis, quae menſtruo profluente ſanguine interierat, itemque unius atque alterius mulieris, quibus is fluxus paulo ante obitum aut fuiſſe, aut certo inſtitiſſe videbatur, Genitalia annexaſque partes annis ſuperioribus

ſiſtente fluxu, hiantibus patuliſque, ceſſante autem, vix eminentibus : Organum praeterea ſanguine refertum haud raro detegitur, a Vulva omnino ſicca, terſaque diſſidens. Haec in Foeminarum

ſuperioribus diſſecuerim, poſtquam illum qui Utero, Vaginaque ſanguinem, ichoremve ſanguineum ablui, atque abſtergi juſſiſſem, haec ſedula inſpectione obſervavi ; neque in vagina, neque in cervice quidquam erat quod cruorem ex earum parietibus prodiiſſe ſignificaret : Contra autem univerſum uteri fundum, in ea cui ſanguinem defluxiſſe conſtabat, in reliquarum vero altera omne fundum, ejus ſuprema parte excepta, in altera autem et totum fundum, et proxima cervicis pars ſanguineis undique maculis diſtinguebantur. Sic teſtatur Morgagnius in Adverſar. Anatom. cap. i. ſect. 33. ; conſule et de ſedibus et cauſis Morborum. Uterum quoque in Menſium ſuppreſſione ſanguine refertum eſſe, teſtantur Marcell. Donat. ; De Haen, &c. inquinari ſanguine fluentibus, et vaſa ſua plena, memorant Verheynus, Spigelius, Mauriceauxius, Littrius, Liſterus, Hallerus, &c. &c.

minarum derepente cadaveribus enectarum mortis inopinatae ingressibus, vi illatae, vel ultima occisarum supplicii poena, ipso menstruo laborantium profluvio.

Nequando tamen et situ inferiore, et pendente, arteriae uterinae a vi illata aliquas subiissent mutationes, in suspensarum praesertim exemplis, Haemorrhagiis inprimis e vasorum ruptura ortis, peritus quisque videat; humoris attamen dicti ex utero fluentum majus evincitur, Matricum argumento inversarum, quibus, testante HALLERO, sanguis patulis ex αγγειων oribus, interne terminantibus, matricariis stillare visus probatur *. Os uteri, profluvio recurrente catameniali,

* Vesalius inquit, ‘ quia tamen Mulieres Uteri procidentia laborantes ex ore Fundi Uteri sanguinem ‘ hunc excernere indubitatum est, ideoque non semel ‘ ipse praesentis disputationis gratia vidi.’ De human.

meniali, aut durante, patens hiare SPIGELIUS eſt auctor, partibus madore quodam vicinis faetido relaxatis, cerviceque ejus, quam aliter exſtare ſolet, ampliore comparente.

Hiſce obſervatione ſedula, aſſiduaque confirmatis autopia, inter ſeſe quoque diſſidere hujus vindices, aemulique, inque duas abire partes invidi diſcedere coeperunt, e Fundo, ſive Collo Uteri, Menſtrua ſuppeditentur invicem diſceptantes *; undique cadaverum ſectiones utroſque

man. corp. fabrica, lib. iv. cap. 15. Conſule Mauriceaux des Maladies des Femmes groſſes et accoucheés; obſervations ſur la groſſeſſe; Littrium; Hiſtoire de l'Academie Royal des Sciences; Peyerum. Spigelium; Halleri prim. lineas Phyſiolog. tit. de Utero Virgineo. ſect. 855.

* Exemplo cujuſdam Mulieris ſanctae tantum nomine, quae laqueo ſuſpenſa jugulata eſt, quo tempore Menſtrua patiebatur, cujus ſecuit cadaver diligenterque

que fulcientes affatim percenſentur ; plerumque tamen dictorum ſumma, Fluxum ex Uteri corpore ſuppetias haurire ſuas arguit *, eruptionibus e cervice rarioribus, ſuccedaneis tantum, atque vicariis, Naturae legeſque praetergrediuntibus ſolitas, uſitataſque, erraticis habendis ; et ſic ſeſe revera res gerit.

Quo clarius hujuſce eluceſcat indoles fluoris, ſeu Venae, ſeu Arteriae penum praebent humoris, indagandum ſupereſt. Haud levium fontem plenum exhibuit Medicis diſceptationum : Colorem crebro nigreſcentem †, ſanguinem e Venis referentem

que obſervavit dicta menſtrua, per collum tantum, et non per cavitatem, aut corpus Uteri, expurgari, Columb. ſub fine ; Conſule Severin. Pinaeum, La Motte, Santorinum, et alios.

* Vid. Auctores ſupra citatos de Fonte Menſium, an Utero, vel Vagina.

† Vid. Aſtruc. Maladies des Femmes.

referentem detractum, longiore praesertim detentum mora; pericula e tot arteriarum, minorum quamvis, ruptura instantia; lentum, pigrumque humoris ipsius exitum, huic vim conferre sententiae, atque munire, existimant *; remora tamen in Matrice facilius atrescere Menstrua, non in obscuro haeret, nullimodoque haemorrhagiae, aut sanguinem vasorum ruptura ferentium, aut laxitate ortae, similia ejici.

Ex Arteriis uterinis autem egredientia facessere optime arguitur: 'No where, (differit 'Anatomicus praeclarus ille CRUIKSHANKIUS,) 'are Arteries more easily distinguished from 'Veins than in the Uterus: the Arteries are 'there convoluted or curling; the branches of 'the Veins are much larger, and are not con-

* Per excerni Menstrua venas credit Bohnius in Circ. Anatom. p. 225. et Etmullerus op. med. tom. iii. p. 49. Santorinus de Catameniis, &c.

'voluted. It happened, that a Woman died 'when her Menſes were flowing; Dr HUNTER 'examined the internal ſurface of the Uterus, 'found it exceedingly red, and loaded with 'Blood; that the principal redneſs was from 'the diſtended and convoluting Arteries. He 'preſſed forward the Blood, which was fluid, 'and which, he aſſerted, never coagulated, and 'ſaw it appear on the ſurface near the extremi-'ties of theſe Arteries. As this diſcharge hap-'pened *inſtantly*, and *from the gentleſt preſſure of 'the finger*, it could not be *tranſudation*, which 'always requires time, *it could not be from rup-'ture of veſſel*. I have had ſeveral opportuni-'ties of repeating this experiment, which *al-'ways* ſucceeded in the ſame manner *.'

Nullam inſuper in ſyſtemate regurgitationem evenire in confeſſo eſt; quid enim, ſodes, hoc efficere

* Vid. Cruikſhanks on the Abſorbents, p. 54.

efficere valet proprium? Quid circuitum impediens juſtum morari? Quidve praeſertim in venis deturbare pollet circulationis curſum, ſanguinemve e truncis orbis in pellere ramos vaſorum inopinantes invitum?

Multarum autem actione cauſarum morbida, naturalis haec, et ſalutaris evacuatio turbata reprimitur, aut in toto etiam creberrime ſiſtitur: Hic equidem Menſtruorum latentes recenſere cauſas retentorum minime abs re foret, aut decet etiam, (Amenorrhoeam quia, vel Menſium emanſionem, ſingulatim tractare, nullimodo noſtrum depoſcit munus,) praecipuas ſolum quam enumerare breviſſime liceat, atque obiter indicare, propoſitum quantum exponere annuentes noſtrum; et hae in genere ſunt. Frigori expoſitiones ſubitaneae corporis identidem calidioris, vel ipſo catameniali durante ſtadio, vel recurſus tempore propediem accedente; diſcriminis fere tamen hujus Mulieres inprimis

gnarae,

gnarae, ſemetipſas veſtitu, amictuque denſiore, tueri ſolent.

Animi praeſertim Pathemata profluvii ſtatum haud leviter attingunt, adfectantque ; alia quorum, Timor, exempli gratia, Moerorque minuunt, impediuntque, e quavis, quam levi etiam, atque vili cauſa, oriundi ; ſicut namque Poeta ſuaviloquus, animoque gratiſſimus, jampridem cecinit,

——————— ‘ Varium et mutabile ſemper
‘ Foemina *.’

Ira contra, Mentiſque inſulſus violentioris, Gaudii immo efferi ipſius vires ſtimulatrices, tam quantitatem ſaepe exaugent, quam Haemorrhagias, funeſtas etiam, atque lethales ſaepe ciere.

Altera

* Virgilii Æneid. lib. iv.

Altera tamen, maximamque certe ſibi vendicans curam, Retentionis gravior ingruit cauſa, e partibus male conformatis humorem promoventibus nata ipſis, repagula ſcilicet, aut Vulvae, Matriciſve imperforatio, γυναικας Graecorum, ατρηλας *, Latinorum *imperforatas* †, proferentia.

Hymenis occluſi mora Menſibus, quo libere permeantes evadunt, crebro obſtat: Verae attamen ſuppreſſionis idiopathicae vix exemplum habetur; ſanguinei enim ab Utero legitime parati humoris, adque hanc progreſſi membranam, per Vaginam ulterius tranſitum expedire ſuum, obex mere mechanicus inauſpicato congeſtionem recuſat. Hiſtoriae cujus, crebriores equidem,

* Vid. Galenum de uſu partium.

† Celſus de Medicin. lib. vii. cap. 28. ad Foeminas pertinent, ut in primis, quod earum naturalia nonnunquam, inter ſe glutinatis oris, concubitum non admittunt, idque interdum evenit in utero.

dem, cruorisque ita detenti, Chirurgi perite admota manu, pellicula invida fauste discissa, feliciter missi, traduntur, quibus morbus dolorificus, in posterum cessans, sanatus abiit: de re tractantes obstetrica historias ejusmodi frequentes memorant. Unam AMBROSIUS vidit PARAEUS *, cui sanguis grumosus, octo ad usque libras pondo, congestus, fauste missus est; aegraque in triduo, omni vacua molestia, prorsus convalescens, sese sanissimam gessit: Multi quoque Auctoribus enarrantur casus, quibus cruoris, vi ejusdem morantis obicis detenti, ad trium, quatuor, sexve etiam librarum ejecti summam; et sic hactenus.

Hujusce

* Vid. Ambros. Paraeum de Generatione, cap. 43.

Hujuſce molem congeſtionis bene admodum pingit ARETAEUS; verbiſque igitur ejus uti, obſecro, ην δε αυλισθεν εν κοιλη χωρη αναγηται αυθις, παχυτερον μεν εωυτω γιγνεται, ου μεν παχυ καρτα, ουδε μελαν, οκοιον αιμαλωψ· πλειον δε πληθει, ως απο αθροισιος· οισι δε αναφερεται ευθυς τοδε το ειδος της αγωγης, γυναιξι ως εποιπαν, ου καθαιρομενησι τοδε επιμηνια γιγνεται, και εν τησι αυλησι περιοδοισι της καθαρσιος επιφαινεται, και προσθεμιησι επι τησι της αποπαυσιος ισχεται *.

Suppreſſio tamen hic tractata Menſium, ea quae ſolum humore non omnino ex Utero oriunda fit miſſo, utpote foemineum urgentium genus morborum originem ſtruens: Humor enim intra retentus, non per ſolum partes laxiores, minoremque ſanguini moram objicientes irruenti, ſed per firmiores quoque, immo ſaepius quam remotas, longinquaſque, viam ſibi enixe

* Aretaeus περι αιμοιων και σημειων οξεων παθων, lib. 2. tit. περι αιμαλος αναγωγης.

enixe quasi parat, atque derepente aegrae miranti erumpit, et

——————' Velut agmine facto,
' Qua data porta, ruit *.'

Medicum imprimis, quoad hosce egressus vicarios, intendere oportet studium. Exitus fere usitatissimus Haemorrhagia fit levi, e Pulmonibus Haemoptysi, e Ventriculo Haematemesi, ex Intestinis Entoraghia. Pars revera vix ulla talibus immunis evadit expurgationibus †, pori etiam

* Virgilii Æneid. lib. i.

† Commemorat Ronsaeus in Epistolis, Mulieris cui dens molaris elisus erat, Menstrua singulis mensibus ex alveolis illius dentis prorupisse: Ludov. inquit Mercator, quod nos jam ter vidimus, videlicet per minimum manus digitum, et per annularem sinistrae manus, singulis mensibus sanguinem profundi, non copiosum

etiam undique cutanei nusquam non prorumpentis vestigia hostis cruenti indicant. Bene equidem,

sum in foemina religiosa quadam, cui Natura menstruam per Uterum purgationem denegaverat. Alteri quoque certe accidisse scio, rubore quodam facto in altera maxillarum, singulis mensibus menstruam purgationem; cognovimus etiam aliam, cui unoquoque mense, sanguis, licet modicus, per majorem oculi sinistri angulum fluebat; plures per sanguinis sputum; lib. i. cap. 7. de Mulier. affectibus. Quibusdam per os vomitu rejici καλαμηνια refert Hippocrates, lib. 1. περι παθων γυναικειων; unde forsan aphorism. xxxii. com. 5. γυναικι αιμα εμεσθη, των καταμηνιων ρεαγοντων λυσος γινεσθαι. Idem et observavit Celsus: Dodonaeus narrat menses ex oculis fluere; Sennertus Praxeos, lib. iii. per Haemorrhoidas Foeminas menstruis purgari; Bonetus per Nares, et idem Brassavola; Borrichius per poros cutaneos, idem et Hallerus; Dolaeus per Urinas; Salmuthius et multi, per vomitum menses erumpere. Ex umbilico fluere Nicholaus Florentinus scribit; e vertice Pechlinus; per Mammarum papillas excerni in duabus

equidem, ſic differens, admonet HIPPOCRATES,

Ει δε και τι παθημα τη γυναικι γενοιτο τη ηδη τετοκυιη, ωστε καταμηνια μη δυνασθαι ελθοντα ευ καταρθηναι, τον πονον οισει ρηιδερως, η ει αλλοκος η *.

Mulieris

nobilibus docet Amat. Luſitan. idemque Paraeus; Zacuto memorantur menſtrua per pollicem excerni. Cuidam ab infantia uſque ad annum aetatis 24. effluxit unoquoque plenilunio, ex Pollice ſanguis primo quidem ad uncias quatuor, deinde poſt annum decimum ſextum ad ſemilibram, quo fluxu temere inhibito demum in Haemoptyſin conjecta eſt. Vid. Freindii Emmenolog. cap. viii. from the Philoſophical Tranſactions, No. 272. Alteri ex indice, ſingulis fere menſibus, per annos duodecim uſque, ad uncias decem prorupit ſanguis; Philoſoph. Tranſact. No. 171. Ex venis, inquit Hallerus, quod in ſummis mirabile, ſponte apertis, fluxerunt menſes, et in varices diduxerunt aliquando venas; Phyſiolog. tom. vii. tit. de Muliebr. Si autem, Lector, plura poſtulas exempla, auctores praeſertim inſpicias obſecramus obſtetricos, nos equidem ſaltem ſatis deprompſimus, quae rem optime illuſtrent noſtram.

* Vid. Hippocratem περι παθων γυναικειων, lib. i.

Mulieris insuper inprimis casum FELIX tradit PLATERUS memorabilem, cui, Utero penitus abscisso, remotoque, debito Catameniorum recursu quovis, soliti vice fluxus, per anum sanguinis par effusa fuit copia, salutis commodo quammopere conferens *. Vulnera nequaquam Uteri usque lethalia esse, ne quidem totum ablatum mortem semper inferre jamdudum scripsit ÆGINETA, et hodiernorum confirmat experientia.

Tertio quovis recursu instante periodico Menses pleniores uberius effluere, auctor est ARISTOTELES †, post duorum, scilicet, mensium cursus, aequaliter sese, aut prope, proferentes, tertius quisque copiosior prodit praecedentibus, longiusque identidem manare perstat, PLINIIque sententia ARISTOTELI accedere videtur, symptomata

* Consule Fel. Plat. observat. med. lib. iii.

† Περὶ Ζωων Ἱστορίας, loc. supra citat.

ſymptomata ſuppreſſionis tertia quaque gravius urgere vice, fuſius tunc editis Menſibus, teſtantis *.

Quatenus tamen, Recentiorum hoc experientia ſuſtentatur judicium, inſcium memet fateor. FERNELIUS ſuas profecto adjunxit vires, auctoritate tamen tantum PLINII fretus ipſius †; forſan rectius tamen Numerorum imperio inſulſe in corpora adſcripto imparum, ut Dierum doctrina criticorum febrilium, origo referenda eſt. Numerorum namque imparum dominatum, paene, ut dicere liceat, infinitum, ſummoſque veterum quamplurimi agnovere effectus; In Veneficorum incantationibus, Sagarumque ritubus horrendis, maximam praebuiſſe opem, nemini obſcurum eſt: E tot millibus exemplum ſaltem

* Vid. Plin. Nat. Hiſt. loc. ant. citat.

† Fernelii inſpicias licet Pathol. lib. vi. cap. xvi.

ſaltem unum promere da, noſtrae quanquam diſputationis parum propoſito concinnens forſan, rem tamen allatam lucidius enodans illuſtranſque,

‘ Terna tibi haec primum triplici diverſa colore
‘ Licia circumdo ; terque haec altaria circum
‘ Effigiem duco ; numero Deus impare gaudet *.’

Poetae poetica utantur licentia, Magi magicis gaudeant, Vetulaeque mendaci indulgeant garrulitati ; Medicis attamen nullimodo aurem iſtis praebere concedatur ineptiis, fabuliſque, in Scientiae nobilis praeſertim, atque eximiae, muneribus exercendis.

Anne cum Freindio ſanguinis miſſiones omnes, e quibuſcunque prodeuntes canalibus, in vices κατα φυσιν fluxus morbide ſuppreſſi ſuccedentes,

* Vid. Virgilii Bucolic. Eclog. viii.

dentes, aeque ſalutares erumpere, et Menſtruorum nomine aeque inſignitas haberi *, conſentiundum: Suppreſſio e Geſtationis, aut Nutricatus ortum trahens ſtatu, utpote quam maxime Naturae conſentanea, ſilentio prorſus praetereunda eſt.

CAP.

* In Emmenologiae cap. viii.

C A P. III.

DE MENSTRUORUM USU.

QUIBUS autem usubus inserviunt Catamenia, haudquaquam, ut videtur, clare notescit; ad Foetus nutritionem conferre, atque incrementum, plerisque arridet; huic fortiter refragatur sententiae,

1*mo*, Quod repente irruentis, post conceptum, suppressionis nequaquam eruere valet causas; vix enim in primis conceptionis stadiis, vel quinquagesimam sanguinis partem absumere credendum est Foetum, quo mensibus uti provectioribus deposcit Gestationis; hinc vel initio nimiam,

nimiam, vel poſtremo omnino exiguiorem, eſſe copiam admittas neceſſe eſt.

2*do*, Animalia praeterea, Menſtruo admodum deſtituta fluxu, partus, non tantum, aeque ac Mulieres, ſuos [redacted]; ſed Abortui quoque minus obnoxia ſubjici, omnibus notiſſimum.

3*tio*, Hiſtoriae inſuper Mulierum per menſes poſt conceptum duos, treſve, aut plures etiam, menſtruantium quarundam, paucarum etiam, per totum Geſtationis decurſum *, narrantur, quâvis abſque Prolis aut noxa, aut incommodo:

* Plurimis nutricibus etiam ordinatas purgationes fluxiſſe vidimus, et multis Utero gerentibus, Jacob. Sylv. de menſ. Mulier. Vid. Mauriceauxium traité des Femmes groſſes et accoucheés, p. 155. caſum ubi mulieris poſt conceptionem per duas menſtruantis vices tradit.

do * : His, quaeso respondeas, quomodo Partum, Menstruis, ut fertur, tantum enutritum retentis, ad Puerperium usque, adve tres etiam menses educi potis est.

4to, Aliquas, quae Catameniorum nunquam passae sunt eluviem, extra dubitationis sistitur aleam † concepisse, steriles quanquam, fatebor, plerumque, et validos rite enixas esse partus : Puellae

* Vid. Mauriceauxium, La Motte, Hallerum, &c. Gravidae saepe largiores menses, inquit Junckerus in Conspect. Physiolog. tab. 24. patiuntur sine tamen Foetus detrimento.

† Quod si haec Menstrua purgatio conceptui promovendo ita esset necessaria, nullae certe conciperent mulieres, nisi quibus fluxerunt menses, quod quidem et experientiae, et historiae medicae prorsus repugnat. Friendii Emmenalog. cap. ii. Quae his Menstruis carent, steriles magna ex parte exigunt ; verum fieri potest,

Puellae etiam ante primum ἐπιμηνίων exordium, compressae praegnantes abiere * : Praeterea traduntur

ut aliquae, etiam sine horum profluvio, concipiant. Jacob. Sylv. de Generat. Satis hactenus frequentia exempla sunt Foeminarum, quae aut totam per vitam suam, aut certe multis annis, menstrua purgatione absque detrimento caruerunt, ut etiam foecundae sint, testatur Hallerus. Observatum etiam, inquit Sennertus, quasdam concepisse quibus Menstrua nunquam fluxerunt; tom. 3. op. med. ej. p. 50. Mulierem quandam nunquam Menstrua passam fuisse, et tamen peperisse duodecies, scribit Rondeletius de method. curand. morb. p. 24. Joubertus quoque Tholusanam quandam foetus decem et octo enixam fuisse sine Mensium profluvio, auctor est, de popular. erroribus, lib. ii. Similiter narrat se novisse quandam, quae sibi sancte affirmavit, se nunquam fluxu menstruo laborasse, tum durante virginitate, tum etiam ipso in Matrimonio, in quo tamen septem liberos feliciter peperit, in puerperio quoque lochia exigua habuit; Fabricii centur. obs. 41.

* Nonnullae Puellae quae adhuc per aetatem non purgabantur,

duntur quae catameniis e toto carentes, Matres poſtea fauſtae evaſere, e quibus Scripta ſacro-ſancta exemplum quam notatu praeſtant dignum; Sara enim, jam nonogenaria, Abrahamo nil tale praeſtolanti, filium peperiſſe traditur, menſtruo jampridem exacto profluvio.

5*to*, Quo, ſodes, humor a veri longe ſanguinis abhorrens dotibus, nutriente quidem, atque alente privatus parte, coagulabile nempe Lympha *, pabuli officio fungi idonei valet?

Haec igitur a ſupradictis inficientibus ruat opinio opus eſt. Secretionem tamen hanc Generationis aliquod obire munus grave annuimus; quid autem, aut cujuſmodi, ignotum ſane.

Benigniſſimis

purgabantur, generare tamen viſae ſunt. Vid. Pauli Zacchiae quaeſtiones med. legales, lib. iv. tit. de Virginitat. et Stupro.

† Hoc celeberrimi periculis arguitur Hunteri.

Benigniſſimis adverſatur Naturae placitis, nil fruſtra, nil inutile tentantis, Foeminas humanas tam aliter charas, tam gratiâ ſublevatas caetera, tanto ſubjici incommodo, atque malo incaſſum; fortaſſe et inter arcana, non retegenda, premitur ſapienter, nam

'Multa ſacro tegit involucro Natura, nec ullis
'Scire fas eſt mortalibus omnia *.'

CAP.

* Lucret.

C A P. IV.

DE FLUXUS MENSTRUI CAUSIS.

HIS, ſicut fert depoſcitque noſtri ratio muneris, quoad Menſium indolem, Fontem, uſumque, praepoſitis, ad alteram nunc deventum eſt operis partem, lubricam ſane periculoſaeque plenam aleae, altas ſcilicet abditaſque, fluxum moventium catamenialem cauſarum intrare latebras. Cauſae namque tam diſcrepantes, diſtanteſque, in hujus enucleationem phaenomeni a viris fictae celeberrimis cogitantis ſeſe exhibent menti, quam incautam, imperitamque abducere, tanta quia veſtitae doctrina, tantaque munitae facundia. Quaedam autem ‘ vix aſpera rumpentes fata’ in lucem magno

cum

cum conatu ſeſe intulere, atque ludibrio undiquaque adverſantibus habitae, citiſſime penitus obrutae aut hoſtium vi, aut ſua delapſae infirmitate, interiere. Rariores autem, aut alicujus ſuffultae diſertiâ aemuli, aut adverſantium impotentiâ, ad uſque noſtros permanſere dies, nec maximas Auctores inter rixantes concitare defuere turbas.

Harum praecipuas breviter recenſere ſtat, atque, quoad ſinunt acuminis ingenia, ſcrutari: Tantum capeſſenti inceptum tribuatur venia, ceſpitanti concedatur indulgentia.

Ex ordine ordiri prolato arridet: Theoria idcirco vetuſtatis primum obtinens locum, ea, quae ARISTOTELI revera debetur *, ASCLEPIADI aliis quanquam, aliis ERASISTRATO adſcripta.

I.

* Vid. Ariſtot. περι Ζωων γενεσεως, lib. vii. περι κοσμου, cap. ii.

I. Lunae vires attrahentes. Lunae in mare poteſtatem annotanti fluxus agitantis refluxuſque, periodumque recurſus ſolitum Menſtruorum, dierum viginti octo, Menſiſve lunaris ſpatium complectentem, haec ſententia inſulſa equidem, atque futilis, ſeſe obtulit. Lunam quoque in morbos multos, qui intermittentes exacerbationes ſubeunt, maxime valere, ut in Mania atque Epilepſia, plerique veterum exiſtimarunt; merito autem inter diſtinguendum ea, quae *cum* Phaſibus fiunt, eaque quae *per* illas efficiuntur * ; vix morbus autem eſt in quo non aliquis ordo, ſtatus, perioduſque obſervantur, ut in Febribus pleriſque evenit. Quis autem hoſce Lunae reſpicere quadras nunc autumat temporis?

1*mo*, Quare non, hujuſce ſectatores ſententiae rogatos vellem, cunctae ad adamuſſim eodem menſtruant

* Junckeri Conſpect. Phyſiolog. tab. xxiv.

menſtruant tempore? Rem ſeſe longe aliam diverſamque gerere nemini non liquet; Excretio namque in Apogaeo, aeque ac in Perigaeo contingit lunari, ſingulis et diebus, ſingulis etiam, abſque diſcrimine, horis: qui fit, quod quamplurimae hiſce obtemperare urgentibus juſſae legibus recuſant, imperioque mandatae cedere indignantur?

2do, Aliquas quinque per terminum hebdomadum, vel ſex etiam, fluori catameniali liberas ſupra memoratas enumeravimus. Lunam in has dominatum exercere nullum patet: Contra traduntur juſto ſaepius menſtruantes, et Naturae legibus lato quaſi tempore, omni nempe menſe dimidiato, triumve termino hebdomadum, πληθωρικαι praeſertim, atque libidinoſae; hae fluxus certe impatientes, Deae ſerenae expectare praecepta prorſus renuunt. E tot autem quo melius excedant anguſtiis, vim hanc benigne menſtruificam in tantum Vetulas dum

Pleni-

Plenilunium inſtat, in autem Juniores dum imperat Novilunium, effectus agentem edere, effatum unde iſtud, irritum imprimis, atque inſulſum, ortum trahit, fluxus exprimens tempora,

Luna vetus vetulas, Juvenes nova Luna depurgat.

Sed quid plura? Cur pluribus tales refellere, anileſque nugas, opus eſt verbis? Annon ὑποθέσεως ſeſe apertas ſatis, atque claras, ineptiae reſolvunt? Certe equidem, ni viri viribus celeberrimi MEADII parumper ſuſtentata propugnatur ſententia *, abdita quadam Lunae actione, Aëris fieri quandam dilatationem, ſanguinem idcirco iter ſibi per Uteri diſtenta, cedentiaque vaſa, preſſione diminuta atmoſphaerica, enixe ſtruere, ducentis: Objiciendum autem occurrit,

* De Imperio Solis et Lunae, in op. med.

1mo, Nequaquam iſtiuſmodi dilatationem revera evenire.

2do, Neque, ſi argumentandi ſolum conceditur gratia, talia edere potuit.

3tio, Manca inſuper haec claudicat ſententia, cur, non fere annum quartumdecimum erumpentia, tardantia prodire Menſtrua cunctantur, dicere nequit: Foemellae autem tunc Vitae temporis ullius cujuſvis majus obnoxiae ſtimuli potentiae ſenſiles fiunt. Auctor autem, horum nullimodo inſcius, vim identidem fermenti cujuſdam graviter incuſat.

Summa igitur, concedas certe, dictorum, Catamenia a Luna nil, niſi nomen, accipere arguit, a recurſus termino, potiuſquam cauſa hac excitante, inſignita *.

II.

* Vid. Liſterum de Humoribus.

II. Galenus ſuam quoque, quoad Menſium cauſas moventes, publici fecit juris ſententiam, πληθωραν corporis univerſam increpans: Opinio tanti citiſſime increbuit viri, nominumque adauctata celeberrimorum tot fama inſignium, facundiâ ornata, atque ſcientiâ, ad noſtra uſque ſuperſtes invaluit tempora, vireſque indies acquiſiſſe plus pluſque eundo videtur, Freindii, Boerhaavii, tutela nobilitata. Nullimodo autem inexpugnata ſtat, aut indomita, miſſilibus enim hoſtium undequaque petita, ſupplices dare manus, ſeque victam dedere cogitur.

Argumenta utramque diſceptationis fulcientia partem recenſeamus; (ne minimo πληθωρας cauſas indolemve, noſtris niſi inceptis adſpirantes quantum, enodare aggredientes); Praecipua quorum haec ſunt.

1*mo*, Sexum ſequiorem e Naturae legibus ſanguinis majorem ſibi parare, quam Corporis

inſervire

inſervire uſibus poſtulatur, copiam, Vitae ergo inertis deſidius actae, eaſdemque ob cauſas, per Cutem *, excretoriave ulla, tam, quam viri, fuſe vacuari renuere, hinc manifeſto ſanguinis in habitu quantitatem nimis augeri juſto, πληθωρᾶν igitur veram ortam gigni: Haec, aiunt, fieri, Mulieres quia robuſtiores, impigrae, egenaeque, menſtruum et parcius et rarius ſimul edunt profluvium, immo nonnunquam prorſus abeunt hac immunes eluvione, pro rata per Cutem difflantes, aut excreta, parte ingeſtorum.

2*do*, Puellas citius incrementum nactas Pueris pubeſcere, et ad ἀκμὴν provenire debitam.

3*tio*, Praegnantes, Nutriceſque fere menſtruo carere fluxu; illis namque in Foetus ſubſidium, nutritionemque comparari, his autem in Mammarum

* Vid. Sanctorii Medicin. ſtatic.

marum lactis praebentium ſecretionem ſuppetias ſanguinem abire redundantem opinantur.

4*to*, Egreſſus, Menſibus diu a morbo ipſis retentis, vicarios opem haud levem huic conferre ducunt ſententiae.

5*to*, Denique, Uterum ſitu ſuo inferiore, pendenteque, vaſorum et numero adeuntium, et laxitate pollentem, talem optime congeſtionem, aiunt, amovere conſtitui.

Reſpondendum vero,

1*mo*, Quid in cauſa eſt πληθωρα secundum circiter aetatis ſeptenarium, periodumve, quo effluunt Menſtrua prima, ſolitum oriri, annon Puella, ſodes, quae abſolutiorem, quam temporis Puer ejuſdem, comparaſſe dicitur ſtatum, pari quoque ratione ſanguinem ſibi parat ? Corporis incrementum, hanc et poſcere redundantiam,

dantiam, et factam, fortaſſe dicas, abſumere. Statura tamen Foeminae, haud dum perfecta, neque Corporis in perducitur finem, ſtatim ac Pubertatem nanciſcitur.

2*do*, Plenitudinem nimiam vaſculárem fac Menſes elicere diſputationis ergo : Qui fit, quod infirmiores, atque marceſcentes, quae ne minime quidem ſanguinis, pro viribus, conparare majus finguntur, Catameniis ſaepe, ac Saniſſimae, atque validiſſimae, ex ordine rite laborent ?

3*tio*, Symptomata quae ſuppreſſionem et recentem, et veterem famulantur, e quavis genitam cauſa, πληθωρας univerſae indicia minime dubia habita, per dies urgentia paucos infeſtant tantum, tuncque gradatim, omni omiſſo fluxu, levata, ſaepiſſime aut minuuntur, aut omnino penitus etiam tolluntur ſponte, iis quoque, quibus longius cohibitis Catameniis, nullus e partibus

tibus egreſſus in vicem ſuccedaneus quibuſcunque prodire evenit: a Plenitudine autem ſi haec revera exſtiterant ſigna, mala et creſcere oportet, et aegram eo uſque, e Genitalium donec ſyſtemate plenior Menſtruorum effluxus ſanaſſet, torquere; quam longe ſeſe res habet diverſam, fauſtius equidem, omnibus patet.

4*to*, Cur non Venaeſectio brevi ante recurſus tempus inſtituta debitum, ſanguinis minuendo copiam, aut Haemorrhagiae, aut ulla quaevis auctior humoris evacuatio, fluxum penitus cohibeant, πληθωρας ortum enim efficienter praevenire gaudent.

5*to*, Denique, quod maximi eſt ponderis, arguitur, humoris copiam ejecti minime hanc amandare plenitudinem ſatis eſſe, neque inſuper, egreſſum ob tardiorem, menſura enim, tres fere quatuorve complectens uncias, ad ſex rariſſime

exurgit:

exurgit : Quomodo, dic quaeſo, expurgatio tantula, in diebus praeterea totidem facta, πληθωρα queat amovere generalem? Stillicidio enim emittitur, atque guttatim. Laxiori vaſorum Matricem adeuntium texturae atque debiliori, omni ſanguinis cedenti nixui, noſtrum impertiri conſenſum nequedum placet.

Supra igitur adducti dictis, hujuſce noſmet Doctrinae aemulos adnectere minime arridet gentium.

III. Democritus atque Parmenides jampridem ſententias tenuere ſuas *, a Fermentorum theoria haud multum, ut videtur, abhorrentes : Illi, quia Mulieres temperamento praeditas calidiore, ſanguinis quoddam fervidioris genus, et acrioris, gignere duxerunt, qui accumulatus, praeterque auctus Naturae juſtum, acrimonia

* Conſule Hieronym. Mercurialem de morb. Mulier. lib. iv. cap. 1.

acrimoniâ uterum ſolâ irritatum ad hujuſce emiſſionem ſuſcitare excretionis. Quatenus Fermentorum menſtrualium doctrinae ortum haec, originemque praebuere, dictu difficile eſt admodum, quae, Philoſophia fervente Chemica, valde inter increbuit Medicos, neque Patronorum expers fidelium *, acerrime ſuſtentata invaluit: Ædificium totum autem, quam prave ſtructum, errore fulcitum, atque inſcitia, jamjamque nutitans, funditus evertere in promptu eſt.

1*mo*, Quomodo enim, enixe obſecro, ubique, Fermentum iſtud tam inſignibus, tam potentibus ditatum viribus, opertum latere fingemus, annos donec Puellae adeptae puberes, ſeriuſve nonnunquam, miranti, ſeſe derepente offert? Quibuſve de permotum elicetur cauſis? Quae

 in

* Vid. Baylii opera; De Graafium; Mich. Etmullerum, &c.

in menſtrualis generationem humoris materies vaganti ſemet obviam facit idonea? Quibuſve de ſcatens fontibus?

2do, Fac eſto: Puta, ſi placet, fermentationem iſtiuſmodi per unum ſolum temporis inciſſe punctum, quid in cauſa eſt, quod, non eo agat uſque, maſſa donec ſanguinis tota permeantis, atque Fluida corporis cuncta caetera in ſuam, ut in aliarum ſpeciebus evenit fermentationum, indolem convertantur propriam?

3tio, Fermentum autem ſui eſt generis *? proh dedecus! quale eſt? Percontor ſcepticus, quaſve obtinet proprietates? Quam ob cauſam per periodos duntaxat, alioquin effraenata acie, breves ſaevit? Suppreſſa omnino expurgatione, quid de hoc potenti agitur Fermento? Quo abiit

* Fermentationis ignotae beneficium in Menſtruationis ſubſidium evocatur; Ramazin.

abiit fallens, auctore HALLERO *, ſciſcitamur? Quo ſeſe Geſtationis confert tempore? Quo denique modo, mucoſa omnia ubi, blandaque inſunt, in Matrice paratur?

Haec igitur falſitatem ſatis detegentia hanc in plures amandant Theoriam.

IV. Nunc ſententiam de cauſis Catamenia excitantibus pendamus alteram, ſpecioſam admodum equidem, atque diſertam. Mens autem tantorum munitam virtute defenſorum aggredi reformidat. A SIMPSONO excuſſa eſt et maxime increbuit, maximo ingenii ornata acumine, Doctrinaque famâ indies aucta invaluit, Plethora ſcilicet localis, ſeu congeſtio vaſa Uteri ſolius pleniora infarciens. Imprimis, ut fieri ſolet, argumenta ponamus ab aemulis deprompta ejus,

1mo,

* Vid. Halleri Phyſiol. tom. vii.

1*mo*, Venarum, periculis CLIFTONI WINTRINGHAMI celebratis, ingeniosis sane, atque solertibus freti, Juniorum densiores firmioresque tunicas, quam arteriarum una serpentium esse ducunt: Venasque hasce, valvularum expertes, sanguinis tardare cursum, et lentiorem reddere: Ob majorem igitur a venis oppositam resistentiam, libera cruoris ex arteriis impeditur via majus justo idcirco distentis. Hinc donec ad Vitae circiter medium adventum est tempus, systema arteriosum plenetudine laborat adfectum; infarctionis tamen hujus finis obrepit tandem; arteriae enim crescentes eandem a fluidi perpetua pressione permeantis densitatem, ac venae, consequuntur: Durante insuper ultra causa eadem, senescentibus venoso validius firmiusque redditum systema arteriale, plenitudinem infert venarum.

2*do*,

2*do*, Dolores lumbares, atque ſymptomata Menſtruorum comitantia eruptionem caetera, πληθωραν in regione ineſſe uterina, ut aiunt, probe incuſant.

3*tio*, Utero ſerius abſoluto atque adaucto, fluidi in cavitatem perpetuo deponi quiddam, et vaſcula hoc exhalantia laxiora, diuturnâque tandem infirmata actione, gradatim tam dilatari patula, quam ipſum tranſmittere ſanguinem, congeſtionemque localem, a generali longe diſparem, denuo obtineri teſtantur.

4*to*, Sanguinis autem, his oribus quamdiu effluit patulis, in uterina itineri vaſa reſiſtentia minuitur; dilatationis igitur ſublatâ cauſâ, vis tunicarum vaſorum contractilis intendens, lumina eorum occludens, anguſtiora reddit, fluidorum ſolum tenuium, atque ſeroſorum tranſitum concedentia, ad ſanguinis quia inhabilia

prorſus:

prorſus: Ideoque menſtrualis ſtatuitur modus effluxus: liſdem poſitis quoque, quam ob rem menſtruum parcius praebent foeminae robuſtiores fluorem, enucleare aggrediuntur.

Objicitur autem valde,

1*mo*, Impar vaſorum ſanguinem ferentium robur nullimodo certum probatur, pericula enim Wintringhamiana, quibus praecipue nititur, de hac inſtituta re, minimi quoad aeſtimanda ſunt pretii, molem materiae tantum actualem vaſorum demonſtrantia. Fingamus autem pauliſper ita eſſe: Annon eandem etiam obtinere ante primas Menſium eruptiones inaequalitatem ducere liceat? Quare tamen aequali tandem reddita denſitate, annum ſcilicet circiter trigeſimum quintum, vel ante, non Fluxus penitus quieſcit ſuppreſſus? Cur plenitudine ni-

mia

mia in arteriarum ſuccedente venoſa Catamenia prodire perſtant ?

2do, Huic merito objicitur, ſymptomata quae πληθωρας plerumque ſeſe adjungere ſolent comites, infarctioniſque ducuntur ſigna uterinae, Dolores ſcilicet per Lumbos, perque Pelvim erratici, crebro ſpontanea evaneſcere : Hic, ſi plenitudinem eſſe localem damus, effectus, remota vero cauſa, praeſens ingruit. Ubi gentium, quaeſo, ſanguinis ſupervacanea iſta copia, humoriſque redundantis, ſtabulatur ? Quove abiit ? Proximus nequaquam recurſus Menſtruorum pari auctus ratione prodit, quod menſuram quoque longius detentam exaequet ?

3tio, Expurgatio quoque haecce non raro talium expers malorum fit.

4to, Si ab oriantur Menſtrua congeſtione topicali, evacuationem ſymptomatum ingruentium

confeſtim

confeſtim adventum ſequi oportet, fere tamen, nihili habita hujus praeſentia congeſtionis, vix debitum antevertit tempus.

5*to*, An Rationi conpar Uteri vaſa tamdiu laxa atque eſſe dilatabilia, quam omni cedentia vi illatae, viam uſque ſanguini praebere liberam irruenti? Quomodove, obrepente Senio, infirmitatis ſtatu, tonum tandem recuperant?

Sic differere muneris poſcit officium invito: Juniorem enim, Theoriam nominum tam ſummorum inſignitam ſubſidio, et meritiſſime colendorum tutelam ſibi arrogantem, aggredi, niſi quam diffidenter, decet, HALLERI praeſertim immortalis, cujus opera aeternam conſcivere famam, maximis cum laudibus in poſteros Auctorem traditura; namque,

‘ Exegit monumentum aere perennius,
‘ Regalique ſitu altius Pyramidum,
‘ Quod non imber edax, non Aquilo impotens
‘ Poſſit diruere, aut innumerabilis
‘ Annorum ſeries, aut fuga temporum *.’

CULLENUS praeterea ipſe famigeratiſſimus, ſi non fallor, ſub eodem fortiter militat vexillo; pace igitur viri tanti, haec proferre auſi ſumus, quoniam, quo mens uniuſcujuſce fert, dicere hic venia conceditur ampliſſima, a Profeſſore praeſertim noſtro illuſtri; eſt nam

‘ Vir bonus, omne forum quem ſpectat, et omne
‘ tribunal.
‘ Avertit morbos, metuenda pericula pellit †.
‘ Da ſpatium Vitae, multos da, Jupiter, annos,
‘ Rari quippe boni; vix ſunt numero totidem, quot
‘ Thebarum portae, aut divitis oſtia Nili ‡.’

* Horatii Carmin. od. xxx. lib. vi.

† Horat. Epiſtol.

‡ Juvenalis Satyr.

Noſtrum et hic quoque Tuo condecorare Nomine petenti opuſculum, fas ſit, Decus Medicinae, AMICISSIME SAUNDERS, neminem in Scientiae peritiâ, aut virtute omni ſuperiorem intuenti: Animi in Te, Praeceptor ſagaciſſime, gratiſſimi gratias ago: Te enim Duce, Tuis auſpiciis tutus, Tuoque exemplo adductus, Medicinae incubui ſtudiis, Tuiſque praeceptis, aureis equidem, edoctus; Beneficiorum in me collatorum uſque memoriâ benignitatem proſequar charâ; parce, precor, a Sententia Tua aberranti.

V. Pauliſper diſertum audiamus EMETTUM, aliam quam longe ſupra dictis diſtantem, ſententiam proferentem *; ille enim Menſtruorum, Libidinis viribus effraenatioribus ſtimulantibus, inque Veneris gaudia praecocitati, cauſam adſcribit primariam, et hoc in modo opinatur,

1mo,

* Vid. Diſſertationem ejus, ut opinor, inaug.

1*mo*, Circuitum, Pubertatis circiter tempeſtatem, in uterina auctiorem evadere regione, majus idcirco ſanguinis in ipſam advehi Matricem.

2*do*, Sanguinem, hoc delatum modo colligi, ibique per aliquod manere temporis, quibuſdam accumulatum ſinubus, e quibus tandem, venerearum ardente cupidinum aeſtro, Uterum exſtimulatum, Menſtruorum forma, excernere.

Huic autem noſmet adjungere ſententiae diſſidentes nequaquam arridet. Auctor enim deceptus erravit; his permotus talia differere potiſſimum adducor.

1*mo*, Quia nec cupidinis ardor effraenatior Puellarum juniorum tam animis alte inſeritur, quod profluvium excitare valeat menſtruum: Laſciviores equidem Foeminas, atque ſalaciores,

fuſius

fusius modestioribus plerumque menstruare, conceditur undique, causa autem potius, quam habenda effectus.

2do, Effectus praeterea, Causae, si disputationis ergo datur, fere quam maxime evadit impar, Nymphomaniâ enim laborantes salacissimae, Amenorrhoeâ quoque identidem afficiuntur.

3tio, Hypothesis insuper multiplex congestionem quoque adesse topicalem poscit.

4to, Foeminas, aut accedente Fluxu menstruo, aut persistente, a Masculorum congressibus penitus abhorrentes cunctas aversari, clarius notum.

5to, Brunonis doctissimi nullimodo sententiae indulgere arridet, Catamenia pubertatis non plerumque antevertere tempus, quia tunc, perfectiore

fectiore Mente, idoneus conſocientur notiones * ; Fatuae enim, iiſdem deſtitutae Cupidinibus, eodem ardore, aeque ac caeterae legitime Menſtrua effundunt, idemque Foeminae caſtiores, quas non perpetuum concubitus deſiderium, aut illecebrae laceſſunt.

6to, Menſtruis fere carent Praegnantes, nondum Veneris derelinquentes caſtra, atque Nutrices, quae Amoris juſſis, minime abſtinentes, ſalacibus ad ſatietatem uſque obſequi alliciuntur.

7mo, Manca praeterea ſententia eſt, vacillanſque claudicat, Anatomicorum praeſertim repugnans ſcientiae; ſinus namque iſti, exquiſitiſſime quanquam plurimorum indagatione quaeſiti, nunquam adparent; fabricae hinc ipſius Uteri parum

* Conſule Brunonis Element. Medicin. edit. ult.

parum intelligens, in errorem Auctor deceptus irruit.

Praecipuas itaque ſic hactenus de Catameniorum cauſis ſententias expendimus, omneſque imperfectas eſſe, leveſque docuimus: Cuncta autem enumerare de hac auguria re, nec officium depoſcit, nec propoſiti ſinit ratio noſtri; multa ſunt enim, innumera poene dixeram, praemature obruta, et Dies namque edidit, et Dies delevit. ASTRUCIUS hypotheſin effinxit ſuam *, longe Uteri ſtructurâ, facem ferente Anatomiâ, abhorrentem, vaſa ejus vermicularia, appendiceſque venoſae Lympha repletae, Matricem urgentes, adque menſtrualis ſtimulantes excretionis expurgationem, nullimodo ſeſe cultris rimantium obvias faciunt. Aliae denique Auctorum catervae alia finxerunt: Nonnulli autem rem enucleare prorſus deſperantes nodum ſecare

* Vid. Maladies des Femmes, tom. i.

ſecare Gordianum fruſtra tentarunt, negotiumque totum divinae auxilio comiter inſtantis Providentiae, omnino adſcripſerunt, ſed,

‘ Non Deus interſit, niſi dignus vindice nodus
‘ Inciderit *.’

Ante tamen, quam quae nobis diu cogitantibus, atque graviter, Theoriam proponamus, quae veri videtur tenacior, Uteri prius ſicut multis deſcriptum adſpectum ſecantibus recenſeamus.

Spigelius internam ejus ſuperficiem confertis, quoad praecipue fundum, vix aliter, niſi Menſibus fluentibus, obviis, ſtipatiorem pingit vaſculis †. Mauriceauxius in Mulieris cadavere, ipſo durante fluxu, emortuae vaſa uterina inſigniter patula, hiantiaque, oribus in fundo ſuis

* Horat. de Arte Poetica.

† Lib. viii. de hum. corp. fabr.

ſuis plane terminantibus vidit *. MORGAGNII dicta, Uteri fundum, in enectarum quarundam, Catameniorum identidem laborantium fluxu, cadaveribus, maculis conſitum frequentibus, ſanguinolentis, probant †. Intima Matricis, teſtante inveſtigatore inprimis ſcito WINSLOWIO, cavitas, villo quaſi quodam, frequentibus minimorum ſanguine tinctorum vaſculorum oſculis, atque innumerabili paene ſerie, confluentium facto, iis quae Menſtrua ſubeuntes e medio derepente tolluntur, ditatur ‡.

VI. His igitur praepoſitis, SECRETIONE VERA, aliis in corpore glandularibus undique ſimile peractis, Menſtrua elaborata eſſe aſſerere ſtat ſententia, his praecipue adductus, nuper dicta ſcatentia

* Maladies des Femmes groſſes et accouchées, liv. i. ch. 10.

† Vid. Adverſar. Anatomic. ejus.

‡ Vid. ejus Expoſition des corpſ. hum.

ſcatentia Uteri ipſius intrantia cavum, ibique terminantia foraminula, ora revera ductuum huic inſervientium Secretioni, ducens.

1*mo*, Vaſa, quae Uterum adeunt ſanguifera, et mole inſignia majore, et numero, plus deportare ſanguinis conſtat, quam ad ſolum viſceris nutrimen neceſſarium : Additque vires, ſolito convolutiora, majus tortuoſa, atque ſinuoſa, Glandularum adinſtar aliarum vaſorum, eſſe.

2*do*, Omnia corporis fluida hanc confirmant convenientiam, propriis, quo propriis fungantur officiis, ſecreta Glandulis : Bilem referam, aut Salivam, Semenve ? Glandulae enim in Utero ſitae parvae, atque frequentes, Muci tantum, Humoriſve blandi copiam affatim ſubminiſtrant, in omni ſicut membranacea intus inducta tunica cavitate fit, Tracheae puta, aut Æſophagi cavum.

3*tio*, Fluxus ipſe menſtrualis Lymphae et anteceditur miſſione plerumque, ceſſanſque eâdem excipitur.

4*to*, Illuſtris potiſſimum HUNTERI pericula, quae humorem menſtruum a Sanguinis veri abhorrentem dotibus, coagulari pertinaciter renuere arguunt, et hanc quamplurimum adjuvant ſententiam, ſtabiliuntque; neque enim quavis remora ſubſiſtens mechanica, aut objice, unquam rite coagulatus exire dignatur, ad enim ſummum grumoſum ſeſe obfert, Sanguinis idcirco propria, qualitateſque reſpuens ſolitas: Qui enim Cruor in ullum effuſus cavum, detentuſque, niſi concretus, detegitur?

His igitur, ut decet, evictis, quae ad hanc poſtulantur Secretionem, atque praeſunt, haec ſunt, 1*mo*, Uteri Conſtitutio idonea. 2*do*, Ductuum humorem ferentium lumen non impedi-

tum

tum, cavitaſque libera. 3*tio*, Aetatis periodus conveniens habiliſque. Haec equidem manifeſte praecipua, et parant, et adornant Copia opportuna Sanguinis forſan addenda eſt.

Partium diverſarum corporis evolutio et orditur, et incrementum gradatim perficitur, Corpuſque lentis tantum paſſubus abſolutum expletur. Vaſa primo exſeruntur Capitis, Trunci denuo, Extremorum proxime, a Cordis viribus longius diſtantium excitantibus ; Organa poſtremo magnum Naturae opus peractura, Generationis nempe munera, in Foeminis Uterus, in Maribus Teſtes, abſolvuntur, qui officiis vix niſi ad Pubertatis ακμην idonei fungi ſuis evadunt. Foeminae autem hunc nactae ſtatum, non Geſtatione impeditae, aut Nutricatu, nec ullius cauſae actione morbificae, ex ordine debito, juſtiſque perſtat legibus fluxus : Similiter quoque Puero exorditur Seminis ſecretio, Teſti-

bus

bus tunc temporis ad proprii muneris opus aptis redditis.

Noſtram ſic propoſuimus ſententiam,

' Si fuit erratum cauſas habet error honeſtas
' Adde fidem, nulla parte pigendus erit *.'

His igitur ad finem fauſte perductis, meam qualem qualem publici faciam juris dolens cogor opellam, imperfectam ſane agnoſco: Non opus autem ipſum, ſed Auctoris vires, non tentamen, ſed aggredientis voluntatem reſpiciat quiſque benevolus obſecro.

Reſtat

* Ovidii Heriod. Epiſt. vii.

Reſtat autem quo animi ſummopere beneficiorum memoris officio fungar, SOCIETATIS REGIAE MEDICAE EDINENSIS SOCIIS grates perſolvere gratiſſimas : Semper cum recordabor gaudio temporis ſummo, quo me ſodalem adjungere facultas comiter facta fuit ; uſque maxima cum voluptate Juvenum, doctorum admodum, atque ſolertium coetus, ſitiente ubi avidus aure Scientiae omnigenae, Medicinae praeſertim, praecepta inhauſi, atque diſceptationibus interfui diſertis admodum, atque facundis, reminiſcar.

Honoris Praeſidentis ad quem ſuffragiis evectus fui veſtris, SOCII DIGNISSIMI, Pectus hoc

noſtrum,

noſtrum, ‘ hos dum ſpiritus regit artus’ gratiſſimam ſemper fovebit recordationem. Floreat SOCIETAS VESTRA, fama per orbem notiſſima, in aeternum floreat, Gloriamque ſemper retineat, qua hodie inſignita fruitur, nullo delebilem aevo. Me vobis devinctiſſimum, vobis amiciſſimum confiteri gaudeo.

Valete, SOCII DILECTISSMI, valete,

‘ Ante leves autem paſcentur in Æthere Cervi,
‘ Et freta deſtituent nudos in littora Piſces,
‘ Ante, pererratis amborum finibus, Exul,
‘ Aut Ararim Parthus bibet, aut Germania Tigrim,
‘ Quam noſtro veſtri labantur Pectore vultus *.’

* Virgilii Bucol. Eclog. 1.

F I N I S.